



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CVII. Differentia 33. Iure Canonico sententia in causa matrimonii sine  
scripto ferri potest,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## CVII.

## DIFFERENTIA 33.

*Iure Canonico sententia in causa matrimonii sine scripto ferri potest, c. Albericus 43. de testib. secus iure civili per regulam: l. fin. C. de sententia ex brevic. recitanda. Bartol. 40. Ioann. Bapt. à S. Blasio 88.*

Sententiam definitivam scripto concipiendam, & proferendam esse aded certum DD. existimant, ut, si in causis gravioribus non fiat, vitio nullitatis subiacet, l. 2. & 3. C. de sent. ex brevic. recit. Vantius de nullitate ex defectu process. n. 69. Farinac. decis. Rot. 474. Maranta part. 6. iudic. §. de sentent. n. 12. & n. 115. Zerola part. 1. v. Sententia, §. 6. Barb. in c. Quoniam contra, de probat. Inter singulata igitur numerandum, quod hic asseritur, sententiam in causa matrimonii scripto non indigere. Nam in c. cit. Albericus Innoc. III. jubet recipi testes, ut constat de sententia prolata: unde colligimus valere in ecclesiastico iure sententiam, quamvis non sit excepta scripto: quæ quidem resolutio, Barbosa teste est contra communem DD. sententium, quæ retentâ, respondendum est cum Glossa, & DD. communiter in c. Quoniam contra, de probat. textum in præsententi procedere specialiter in causa matrimonii, de qua agit. Vel melius dicendum puto, hunc textum non agere, utrum sententia definitiva scripto, vel

sine illo proferenda sit, sed supposito (ut sunt termini habiles juxta unanimum DD. consensum) quod in scriptis profertur, illius publicatio sit redigenda in acta, & per Notarium publicum ad hunc effectum scribenda, ut ex actis judicialibus publicam fidem faciant. Ita Barb. cujus opinionem si amplectendam ducimus, cum suppositionem, qua citati auctores Bartol. & Ioann. Bapt. à S. Blasio nititur, tollat, inter leges, & Canones nulla differentia, sed utrobique sententia definitiva scripto consignanda erit eo sensu & fine, ut de illa prolata, & publicata ex actis publicis authentica notitia à posteris habeatur. V. Silvestr. v. sententia, n. 4 ubi inter casus, in quibus sine scripto sententia profertur etiam hunc de causa matrimoniali numerat juxta aliquor DD. opinionem.

\* \* \*